

§. 17. Ex lapide hoc, veteres fenestrarum orbes formarunt, ligno, plumbo & chartâ includere: quales fenestras in vicinia nostra, *Merseburgi*, in templo vetusto offendit *Agricola*, confer ejus *Bermannum Cap. 32.* & *de natura fossil. Lib. V. Cap. 8.* Tales fenestras in aliis etiam locis vidit *Kentmannus*, qui in *Nomenclat. fol. 32. N. 2.* *Selenitem pellucidum & fossilem*, ex quo in *Thuringia*, *Saxonia* & vicina *Marchia* orbes fiunt, qui fenestris inseruntur, nobis offert. Cum vero vitrum, speculari lapide multo vilius vendatur, tales fenestrarum orbes occurrunt rarissime. Curiosi tamen, in museis rarioribus & pretiosis, hoc lapide papiliones, & plantas minores ac imperfectas, nempe muscos & picturas minores varioresque, includunt, atque tegunt; taceo, quod aliis usibus etiam conducatur optime. Hic lapis à foeminis & puellis in pulverem teritur, & loco talci, faciei sordes abstergit, illamque nitidiorem reddit, confer *Agricol. loc. cit.* Idem *Agricola* lapidis specularis ramenta, nucis avelanae quantitate, contrita, ex vino, ut bibantur à Dysentericis, tutissime suadet, vide ejusd. *Lib. V. de nat. fossil. cap. 8.* & in
Ber-